

SOCRATES.

Sapientiaē titulum consecutū hominū
 consensu, Dei, vt aiunt, responso sa-
 pientissimum iudicatum, Socratem sub-
 iiciam, inde alios non sapientissimos, sed
 amorem ac studium sapientiaē professos.
 Sed à Socrate incipiam: Cuius in primis
 sanctum ac venerabile consilium habe-
 mus, Adeò nisi vt nobis benefaciat, nihil
 postulare, ille enim quid nobis expediat
 solus nouit. Nos autem cæci, futurorum
 nescij, aduersus propriam salutem, inep-
 tis & inopportunis precibus sæpissimè la-
 boramus. In quo quidem, quia Satyricus
 multum grauerque versatus est, libet &
 nobis aliquantulum immorari. Itaque
 nihil hoc præcepto sapientiùs, nihil tu-
 zitiùs: nihil utiliùs, nihil contraria obser-
 uatione dementius. Insistat quisque se-
 cum reputare, quotiens optauerit noci-
 tura, quotiens optatum votorum exitum
 breui postmodum execratus sit, intelli-
 get illi vni, nos nostraque desideria me-
 lius committi, qui nec præteritis nec fu-
 turis fallitur, denique cui omne æuum
 præsens est: Quid enim miseri optamus?
 Primæ mortalium preces, pro opibus
 potentiâque funduntur quibus coniun-
 cta

cta